



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Nemesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

natio: si autem pereant, totam mercē soluat: secundum Archi. Flor. nec obstat c. naviganti. de usu. quia hic nō est aliquid mutuū. vt not. Ioan. Cal. sed hoc fit tantūm ratione periculi. Idem potest fieri assecutādo pecunias, quas quis portat, vel quas mutuat quis alteri, quōd re habebit. Idem dic in saluo conductu personā, hoc potest fieri cū lucro, dūmodo seruetur promissum. Vtura. §. 8. nec est lucrū illicitum, neq; turpe, cū ad aliquem bonum finem ordinetur.

³ De lucro, quod fit, quando aliqui exponunt se fortunæ, dicentes, quid vis ponere, quod cras pluet, vel talis infra mensem morietur, & de alijs in quibus tantūm est vanitas: dico nō esse licitum lucrum: quia non ordinatur ad utilitatem proximi, sicut predicta assecutio, sed tantūm est hic vanitas, idēo illicitum: non tamen tenetur quis ad restitutionem ex hoc, sicut de turpi lucro, quod de consilio debet dari pauperibus. An autem liceat assecutare mercatori illam, qui ponit pecunias in societate, quod pecunia sua erit salua, & quod lucrabitur, quinq; pro centenariis, vel huiusmodi. infra, Vtura. §. 8. Sil. ver. Negotium. q. 4.

NEMESIS.

NEMESIS, id est, tristitia, quam homo habet de alieno bono temporali, quia talis indignus est hoc habere, vt puta, est malus homo, & est diues, vel bene fortunatus: quando se extendit ad arguendam Dei prouidentiam, tanquam iniuste distribuentem bona temporalia, est peccatum mortale, vel si homo propter talem tristitiam ira afficitur, vt velit malos imitari homines, mortale est. Tristari autē de huiusmodi aequaliter, semper tamen cum Dei reuerentia, non videtur peccatum, sed licitum: sicut de aliquo monstro tristari. supra. Inuidia, per totum, & præsertim si propter aliquē bonum finem fiat.

NOMINATIVIM.

NOMINATIVIM dicitur, quando alicuius proprium nomen exprimitur, vel quando ita circumstantiæ

indiuidualales exprimuntur, vt dubium nō sit, de quo dicatur, vt si quis tacito nomine proprio, dicat filium primogenitum Petri de Petro, &c. vel Petrus cum suis fautoribus, de quibus fautoribus constat notoriē, vel cum dicitur talem villam, cum hominibus illius, omnes de quibus constat notoriē esse de tali villa, dicantur nominativim: Vi de Iuno. in ca. Lateranensi. de præben. & Pan. ibi, qui nititur cōcordare glo. in clem. 1. de vi. & ho. cle. & gloss. in capit. constitutionem. de sententia excommunicata. in 6. & in penis requiruntur circumlocutiones valde strictæ non autem sic in fauorabilibus, in quibus larga fit interpretatio.

NOTARIVS.

NOTARIORVM peccata sunt si non seruant iuramenta per eos facta, si falsa conficiunt instrumenta in toto, vel in parte, si reprobant acta licita, si occultant, vel lacerant instrumenta protocolla. Hos de mortali in predictis excusare nescio, nisi secundum quod ignorantia, vel deceptio eorum posset aliquo modo eos excusare, vel quando errant in aliquo modico sine malitia, nec sunt magis importantes. infra, Tabellio. per totum. Concord. Caieta. in summa.

NOTORIUM.

NOTORIUM aliquando dicitur iuris, vt cū quis iuridicē est cōdemnatus, vel cōfessus in iudicio, vel legitimē conuictus. ca. vestra. de coha. cle. Aliquādo dicitur facti, vt cum populus est testis, & non est locus dissimulandi. c. tua. de coha. cle. nec requiritur quod omnes de villa sciant, sed sufficit quod sint decem graues, & honestæ personæ, quia decem homines faciunt populum. 10. q. 3. c. vno. secundum gloss. Ray. Aliquādo dicitur notorium facti permanentis, vt quando quis publicē tenet concubinam in domo. Aliquādo dicitur notorium facti transeuntis, vt quia occidit hominem publicē. Aliquādo dicitur notorium facti præsumpti, vt cū quis tenetur communiter pro filio talis viri, vel affine, & huiusmodi.